


De Urim Et Thummim : Dissertatio Philologico-Theologica

Herbornæ: Typis, Johannis Nicolai Andreæ, Anno 1706

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn892630035>

Druck Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)

1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-
pentis aenei. Basil. 1659.

DE
URIM
ET
THUMMIM,
DISSERTATIO PHILOLOGI-
CO-THEOLOGICA,

Quarta
ו"ו

SUB PRAESIDIO

IOHANNIS BIERMANNI,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE,
UT ET LINGUARUM ORIENTAL. ET HISTOR. EC-
CLES. IN ILLUSTR. NASSAVIORUM ACADE-
MIA PROFESSORIS ORDI-
NARI.

A. D. Augusti. H. L. S.

Publice ventilandam suscipit

IOHANNES PHILIPPUS GAUDELIUS,
SS. Theol. Stud.

✚) ○ (✚

HERBORNÆ,

Typis, Johannis Nicolai Andreæ, Anno 1706.

24
27
26

SERENISSIMO, CELSISSIMO QUE
PRINCIPI, ATQUE

DOMINO,
HENRICO AUGUSTO
GUILIELMO,

PRINCIPI NASSAVIÆ HÆREDITA-
RIO, COMITI CATIMELIBOCI,
VIANDÆ ET DECIAE, DOMI-
NO BEILSTEINII,
&c. &c. &c.

PATERNARUM VIRTUTUM EX ASSE HÆREDI,
PATRIÆ SPEI, PRINCIPI, ANIMI CORPORISQUE
DOTIBUS FLORENTISSIMO.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Dissertationem hanc devotissima
mente consecrat, & humilli-
ma manu offert,

Subiectissimus Cliens.

Johannes Philippus Gau-
delius, Respondens.



De URIM & THUMMIM.

§. I.



Nimo serio volventi, quid præcipue argumenti futuræ Differtationi feligerem, obtulit se; nescio quo fato, casuve, Pontifex Ebræorum Maximus, cujus divinum plane atque augustissimum vestitum demiratus, dignum profecto duxi, quem non tam exprimerem vivis luminibus, quam rudi quasi penicillo saltem delinearem. Non omnem vero Pontificis splendidissimum ornatum in præsentiarum exponere lubet, ne Iliada post Homerum canere videar; sed in id duntaxat ornamenti Sacri genus, quod *Urim & Thummim* insignitur nomine, paulò diligentius anquirere, animum induxi meum; Quippe de quo variz & admodum discrepantes etiamnum sunt Doctissimorum hominum sententiæ, quorum nullus tamen quod sciam hucusque, meo quidem arbitratu, hanc litem satis curate diremit, neque proprie quid fuerint Urim & Thummim, quidve delineaverint, satis clare ostendit. Quam itaque, omnis Disputationis unicus scopus esse debeat sola indagatio veritatis abstrusæ, & in Democriti veluti puteo delitescentis, (de iis enim,

A quæ

24
27
26

quæ apud omnes in confesso sunt, Disputationis fer-
ram trahere, omnino supervacaneum esse, nemo non no-
vit; ne dicam, & hac ratione in dubium vocari illa, quæ
neutiquam sunt dubia; quod à disputationis scopo pla-
ne alienum esse debet) hinc & mihi, id negotii datum ef-
se credidi, ut mediante hac mea dissertatione, veritatem
hanc abstrusam in apricum proferam, & in plena, quantum
feri poterit, luce conlocem. Primo itaque, in litteralem
sensum, dein in mysticum inquirere fert animus; hoc est,
umbram primo curate exponere, dein vero ipsum in
Christo corpus pleno veritatis jubate coruscum, ob oculos
ponere, ad laborabo.

§. II.

A nominibus ut exordiar, *Vrim* & *Thummim* tantun-
dem procul dubio significare, atque *illuminations*, vel *in-*
flammationes & *perfectiones*, vel *sin. eritates*, omnes ferme,
paucissimam tantum exceptis, Interpretes, quotquot mihi
per otium videre licuit, magno consensu docent. Ne-
que radices וֹרִים & תִּמְמִים uti Philologorum Filii norunt,
huic significationi ullo refragantur modo, ita ut extra
omnem dubitationis aleam sit constitutum, Urim desig-
nare *ignes luces, illuminationes*; *Thummim* vero *perfectio-*
nes, integritates. Quo sensu passim quoque in Scriptis
V. T. hæc duo vocabula usurpari solent. Forte autem
non erraverit, qui *lumina* sive *illuminationes* & *perfectio-*
nes exponat, per figuram, quæ Rhetoribus dici solet, εν δια-
δουιν *illuminationes perfectissimas*. *Aquila* & *Theodotion*
Φωτισμους και τελειωσεις transtulerunt. LXX. Seniores δηλω-
σιν και αληθειαν, id est, *manifestationem* & *veritatem*. Qui
nonnullis nostrorum propterea vapulant, quasi minus
fideliter Hebræa vocabula, contra eorum nativam signi-

significationem expresserint : Verum , meo quidem arbitrato , inmerito : Rei enim majorem rationem habuerunt,quam propriae significationis ; adeoque,sufficiebat,si modo sensum retinuerint. Neque enim solent Evangelistæ vel Apostoli ipsimet literæ semper inhærere, in citatione testimoniorum ex veteri Testamento , sed sufficit ipsis, si sensum retineant. Sed & vocabula si spectes, idem proculdubio est, δηλωσις, & φωτισμοσ; omnis enim *manifestatio*, est quædam *illuminatio*, & vice versa, omnis *illuminatio*, *manifestatio*. Et ratio vocabuli neutiquam difficilis aut obscura est. Nam à δαω, sive δηω, *uror luceo*, est δαλωσ, sive δηλωσ, quod *lucem* designat. Quia vero olim, uti etiamnum, facibus utebantur, nuntiorum vice, inde verbum δαλω, vel δηλω. Optimo autem consilio iidem *Thummim* reddidere αληθειαν ; quia omnis *veritas* est *perfectio* quædam , & quasi verborum nostrorum *consummatio*. Cum primis vero vocem *Thummim* αληθειαν transfulerunt, ut Ægyptiis suis, inter quos eam versionem adornatam esse, nemo non novit, quodammodo sese accommodarent. Nam & Ægyptiorum Pontifices & Αρχιδικασαι, *gemma Sapphyrum* gestare solebant, seu imunculam Sapphyri instar pendentem, e torque Maximi Pontificis, quam αληθειαν adpellavere. Qua de re Diodori (a) Siculi verba sunt apertissima. Εφορει δε εως περι τον τραχηλον εκ χρουσης αλυστως ηρητημενον ζωδιον των πολυτελων λιθων, περυσιογορευον ΑΛΗΘΕΙΑΝ. *Gestabat hic circa collum ex aurea catena dependens sigillum pretiosorum lapidum, quod VERITATEM adpellabant.* Addit ibidem : των δε αμφισβητησεων ηρχοντο, επειδαν την της αληθειας εικονα ο Αρχιδικασης προσθειτο. *Inchoabant autem disceptationes, cum veritatis imaginem adposuerit sibi iudicum Præses.* Sed & Ælianus, (b),

A 2

post-

(a) De Αρχιδικαση lib. I. Bibl. p. 68. Ed. Rhod.

(b) Variar. Hist. Lib. XI. c. 34.

postquam dixit Judices Ægyptios Sacerdotes fuisse :
 ην δε τῶν αρχων, inquit, ο πρεσβυτατος, και εδικαζεν απαντας. εδωκε
 δε αυτον ειναι δικαιοτατων ανθρωπων, και αφειδεστων. Ειχε δε και
 αγαλμα περι τον αυχενα, εκ ΣαΦειρα λιθου, και εκλεθτο αγαλμα,
 αληθεια *Horum Princeps erat maximus natu, & omnes in jus*
vocabat. Oportebat vero eum esse justissimum & sincerissimum
virorum. Habebat autem circa collum imaginem,
(bullam) ex Sapphiro gemma; & vocabatur ea imago, veri-
tas. Recteque judicant viri unde quaque Docti, non
 Mosen ab Ægyptiis, sed Ægyptios ab Hebræis, hunc mo-
 rem accepisse, uti & alias magnam partem religionis, & ri-
 tuum suorum. Neque tamen LXX. Interpretes hoc
 pacto à mente Spiritus Sancti vel hilum discessere, qui
 hoc duntaxat curarunt, ut melius intelligerentur. Ete-
 nim quantulum hæc distant? Sive *illuminations & per-*
fectiones dixeris, hoc est, *illuminations perfectissimas*, sive
demonstrations aut *illuminations & veritatem*, id est, *illu-*
minations, vel *demonstrations verissimas*. Quid quod
 hac ratione clarius etiam exertiusque, divina videlicet
 institutioni, & vero soli, tanquam postliminio vendicaba-
 tur, quod Ægyptii alio retulerunt. Nam & apud illos
 consuetudo inoleverat, è bullis Pontificum oracula ca-
 ptare, uti mox vidimus. Quicquid sit, illud liquido con-
 stat, nomina hæc *Vrim & Thummim*, ad responsa divina,
 eorumque certitudinem significandam relata fuisse. Un-
 de quoque plurima Interpretum pars reddidit *lucis* vel
ignes, & perfectiones. Sic Gemarici, nec non Syrus, & A-
 rabs, *Vrim* reddunt *lumina*, *lucem & dilucidationem*; *Thummim*
perfectiones sive *perfectum*. Lutherus, secutus
 uti videtur Aquilam, transfert, **licht und recht**. Belgæ
 vero mei, aliique, voces ipsas servarunt, quia non habe-
 bant, quod certo sequi possent, licet interim cum cæteris
 Interpretibus, quoad rem ipsam, amice conspirent.

§. III.

§. III.

De rebus ipsis præcipua disceptatio est. Atqui heic revera, quod mirum alicui videri queat, quot capita, tot sententiæ. Labet adponere ipsa Legislatoris verba, quibus hunc thesaurum populo suo primum consecravit. En sichabent: (a) *Pones autem in pectorali judicii, Urim & Thummim, eruntque super cor Aaronis, quando ingreditur coram Iehovah: Portabitque Aaron iugiter iudicium filiorum Israelis: Super cor suum coram Iehovah.* Atque, non abs re fuerit, paulo altius quadam repetere, ut eo clarius ac distinctius celeberrimum hoc oraculum intelligamus. Post paraturam vestis manicatæ summi Sacerdotis, longæ instar togæ talaris; itidemque tunicæ brevioris, & instar togæ prætextæ malogranatis & tintinnabulis, ad imam ejus partem circumquaque exornatæ, atque, isti nimirum superinduendæ; non minima etiam facta mentio fuerat Pontificis superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, cocco & bysso retorto, quod prioribus illis, ad longitudinem quasi thoracis adstruebatur. Josepho & LXX. Interpretibus *επιωμυαίς* adpellatur. Hebræis *Ephod*. Quod secundum R. Salomonem figuram habuit tunicæ muliebris, quæ duobus loris hæret in scapulis. Hæc enim vestis duabus constabat partibus seu plagulis divisis, quarum altera partem tegebat Pontificis anteriorem, posteriorem altera, usque ad cincturam, etenim corpori ut hærent, baltheo qui pertinebat ad *Ephod*, tanquam pars ipsius adstringebantur. In utroque humero, ubi partes conjungebantur, inclusæ auro gemmæ duæ ingentis magnitudinis micabant, quæ nomina duodecim filiorum Israelis senu singula habebant insculpta,

(a) *Exod. 28: 30.*

A 3

quæ

quæ dicebantur אבני שהם. Qualis vero gemma fuerit שהם de eo non inter sese conveniunt Philologorum filii. Hebræorum pars maxima *onychem* vertunt, Chaldaeus כורלה, quod est *βεγυλλιον*, qui lapis Arabibus, teste nonnullibi Kimchio ארבלור *Al Belor* dicitur. Josephus *Sardonychem*, at LXX. & Philo *Smaragdum* indigitant.

§. IV.

Huic vero superhumerali ab anteriori parte, nam circa medium pectus lacunâ quâdam patebat, adcuratissimo artificio pannus adnectebatur, quadratus, spithamæ mensura geminus, auro contextus, prægrandibus gemmis duodecim distinctus. Quarum ordines quatuor erant, ternæ ut in unoquoque ordine corruscarent: Insculpto singulis nomine unius de duodecim tribubus Israelis. Hoc illud est חשן *pectorale*, in quo erant *Urim & Thummim*, idque vocabatur *pectorale iudicii*, & *iudicium filiorum Israel*, non aliam ob causam, quam quia Symbolum & quasi pignus fuit, ad quod Deus Rex Israelis, iudicium suum & voluntatem de interrogatis, Pontifici Maximo patefacere solebat. LXX. Interpretes λογιον dixerunt, quasi quod inserviret Oraculis. Josephus λογιον, *oraculum, enuntiatum divinum*, pro symbolo scilicet impetrandorum oraculorum: Sic quoque Latini eodem sensu *oraculi* voce usi sunt; Quibus nihil frequentius, quam *Apollinis* Delphici, vel *Jovis Hammonis* statuam, *oraculum* dicere. Eodem modo apud Græcos, vates, per quos Deus oracula edebat, λογισι adpellari solebant, docente nos Plutarcho in Sulla. Neque alio sensu ab Apostolo usurpantur τα λογια της Θεου Rom. 3. 2. Vulgata vero versio

fio, nescio qua oscitantia, λογισμὸν reddidit *rationale*, homonymia vocis procul dubio decepta: Quid vero Hebræa vox proprie designet, vix est ut dicamus, cum de ipsius etymo altum sit apud omnes silentium. R. D. Kimchi sane in libro Radicum nullam adfert vocem, cui vel originem debeat שׁוֹשֶׁן , vel qua significatio eius illustretur. Eum veluti ovis arietem sequuntur Lexicographi, *Avenarius*, *Schindlerus*, *Buxtorfius*, alii. Johannes vero *Forsterus* Kimchium deseruit, odio forsan, quo omnes prosequitur Rabbinos; deducit enim *Choschen* à חֹשֶׁן *tacuit, siluit*; & sic dictum existimat, quod *mysteria Dei ibi comprehensa essent*, & inde depromerentur. Sed nondum se hæc probat Eruditis derivatio. Eodem modo à Lapide, *choschen* derivat à חֹשֶׁן ; quasi minime *tacens* dicas; per antiphrasin; vel quod *silens* licet, ederat tamen oracula per Sacerdotem. Addit tamen & aliam conjecturam, videlicet, *choschen* adludere ad חֹשֶׁן per חֹשֶׁן , id est, *fortitudinem protectionem*, quia lorica instar muniebat & protegabat pectus Sacerdotis; nec non per metathesin ad חֹשֶׁן , *divinavit, oraculum dedit*.

§. V.

Fuit itaque שׁוֹשֶׁן *pectorale* (ut uno verbo dicam) ornamentum Pontificis perfecte quadratum, geminatum, Spithamæ unius habens longitudinem, & latitudinem, & quatuor sui extremitatibus, qua in angulos desinebant, quatuor annulos, vel circellos aureos; binos in utraque superiorum extremitatum: In inferiorum totidem, ne dimoveretur. Verum quia ne sic quidem satis firmiter hærebat *pectorale*, hinc duobus superioribus annulis erant insertæ duæ *catenulae terminationis, opere contortili, ex auro puro*.

24
 27
 26

puro. Quæ quod æquali longitudine exirent שרשרת גבלה adpellantur. Harum una extremitas inserta, annulis in pectorali superioribus, altera sursum adducta versus humeros, inclusoriis aureis aptabatur. Inferioribus insertus annulis ex utraque parte funiculus *hyacinthinus*, deorsumque infra axillas redactus, ubi commissuræ am-
 iculi erant, binis & ibi è regione junctis aureis circellis inde-
 batur, atque ita, ne dimoveretur pectorale, sed arctissime,
 adhereret, à circellis suis ad amiculi circellos, qui deorsum
 sub axillis erant siti, stringebat. Ita R. Bèchai, & Ra-
 bam. Ex gemmis vero ipsis, quadruplici ordine apte in-
 ter se atque concinne dispositis, ita ut unus ordo tres
 gemmas portaret, nomina XII. *φλαραχων* artificio sigilla-
 rio inscripta, facile est existimare, quam pretiosum & ad-
 mirandum artificium pectorale fuerit. Intra vero pecto-
 ralis duplicaturam, uti dixi, inclusa erant *Vrim & Thum-
 mim.* Quid vero fuerint, & quem usum habuerint, operæ
 pretium fuerit paulo curatius investigare. Quæstio enim
 vexatissima est.

§. VI.

Sunt qui existiment, *Vrim & Thummim* nihil aliud
 fuisse, quam Scripturam nominis tetragrammati, videli-
 cet inclusum in *pectoralis* duplicatura, quæ Veterum He-
 bræorum & Rabbiorum, quos ob solam antiquitatem
 non prorsus contemnendos censet *Schikardus*, sententia
 est: Alii disputant hæc ipsa nomina *Vrim & Thummim*
 quocumque modo pectorali fuisse inscripta, inter quos à
 Lapide. Hugo conjectat, fuisse characteres quosdam in-
 scriptos pectorali per diversas litteras, quas litteras cum
 projecisset vel commiscuisset Pontifex, eæ Numinis nutu
 ita

ita combinabantur, ut significarent id, de quo sacerdos consulebat Deum, videlicet, quid in bello, aliave re faciendum, aut evitandum esset. *Cyrillus* hariolatur, hæc non fuisse aliquid arte factum; alioqui enim Scriptura diceret, quomodo illa constructa fuissent, sed fuisse cognitionem Spiritualem, quæ ingrediebatur cor Pontificis, quando pectori suo imponebat *Pectorale*. Sic quoque, *Origenes*. *Quomodo, ait, femina aut textor potuit texere doctrinam & veritatem? Sapientia ergo est, qua utrumque facit.* Quæquam frivola sint, quamque gratis, & absque ullo fundamento dicantur, nemo est, qui non facili intelligat negotio. Magnus *Genevæ* Reformator existimat, duas fuisse notas in pectorali, quæ nominibus *Vrim* & *Thummim* convenirent. *Christophorus à Castro* (a), somniat, vel potius delirat, *Vrim* & *Thummim*, fuisse duo parvula simulacra sive idolula, ad fabre facta, vel Dei manu, vel artificum: Quæ nimirum Sacerdos ferebat interplicis *pectoralis*, & quoties aliquid erat interrogandum, efferebat; Deum vero, vel Angelum nomine Dei, per illa clare & perspicue quid agendum esset, quidve non agendum, respondisse: Et propter sermonis perspicuitatem, quo manifestabantur responsa, unum adpellatum esse *Vrim*, id est, *illuminations, perspicuitates*; alterum vero, propter veritatem dicti aut promissi, certo executioni mandandum, *Thummim*, id est, *consummationes, completiones*, (detur venia verbo parum latino) *veritates*. Addit, ea idolula, dum Sacerdos eadem ostentaret, insignem in modum corruscasse, ad captandam videlicet populi attentionem nec non admirationem. Uno verbo, censet, *Vrim* & *Thummim* fuisse *Theraphim*, seu idola, quæ interrogata dabant responsa, voce manifesta. Verum quis credat,

B

Deum

(a) Comm. in *Minores Prophetas* l. 3. c. 3. prolegom.24
27
26

Deum hostem idolorum, idola inferuisse Pectorali apud populum, plus nimium natura in idola proclivem? Sane res est absona dicere, Deum in rituum cultus sui serie, voluisse retinere res à diabolo, aut hominibus, errore abreptis inventas, (quales dubitari nequit fuisse *Teraphim*, aliasque id genus imagines) unice lascivæ, ut placeret Israelitarum concupiscentiæ. Quam id divinæ contrarium sit methodo, qua circa eos incedebat, plene ab ipso docemur, ubi præcipit Israelitis, ut ne sit *informans quidem de Diis gentium* (a); ita ut Hebræis minime licitum fuerit, religiosos à gentibus mutuari ritus. Hanc tamen satis absurdam sententiam tueri conatus est *Iohannes Spencerus* Anglus, in cujus gratiam integrum volumen conscripsit, de *Vrim & Thummim*. Delirat enim *Vrim & Thummim* fuisse duas imagunculas diversas, ita, ut altera diceretur *Vrim*, altera verò *Thummim*, ideoque non nisi Auctore & forsan veritate ab Ethnicorum *Teraphim* diversas fuisse. Verum vir ille doctus, illustrius, uti opinor, amentia specimem edere vix potuit, uti ab aliis haud uno ostensum fuit modo.

§. VII.

Johannes Clericus novam nuper excogitavit opinionem; Suspiciatur enim *Vrim & Thummim* fuisse torquem, partem gemmis & carbuncolorum genere, quæ *Vrim*, partem margaritis quæ *Thummim* dicuntur, constantem, & ad pectus usque Pontifici demissum. Ita ut *Vrim* fuerint gemmæ quædam *fulgentes*, quibus monilia fieri solerent, אֶרֶב תִּבְיָא lucere, splendere, *flammeum* vel *igneum colorem emittere*, qui conspicitur in carbunculis; *Thummim* vero fuerint quædam margaritæ, ex quibus quo-

(a) Deut. 12. v. 30. 31.

quoque torques ille ornatus erat ; Existimat enim vocem *Thummim* non à verbo תומם deducendam , sed potius à voce תומם *thoom*, aut תומם *thom* , quæ gemellam proprie significat ; deinde ad *margaritas*, quæ veluti gemellæ sunt, quia pares eliguntur ad conficienda monilia, ab Arabibus translata est, apud quos תומם תומם sunt *conjunctæ Margarita*. Quemadmodum apud eosdem תומם *thaumaton* est margarita, sive illi simile quid ex argento , תומם *mithamamon* , est monili in collo cinctus. Videntur itaque *Vrim* & *Thummim* fuisse torques carbunculorum, & margaritarum, aut ejusmodi gemmarum, ad pectus Sacerdotis Maximi usque demissus. Sed meo quidem arbitrato, hæc sententia non solum longe petita est , verum etiam omni similitudine veri , rationeque destituta. Si enim hoc voluisset Moses, quod conjicit vir doctus, omni dubio procul scribere debuisset non ויתן אל החושן , *addidit autem Pectorali*, sed cum de monili è collo pendente sermo esset: וישם על צוארו, & imposuit collo ejus, ut Genes. 41. 42.

§. VIII.

Sed neque desunt , qui arbitrentur , *Vrim* & *Thummim* fuisse illas ipsas *duodecim* gemmas , quibus nomina tribuum inscripta erant ; quæ dictæ sint *Vrim* & *Thummim*, eò quod lucidissimæ essent , & perfectissimæ ; & licet utrorumque seorsim meminerit (a) Moses, tamen hoc nihil obstare, ajunt, quo minus intelligi queant per *Vrim* & *Thummim* ipsæ pectoralis geminæ ; existimant enim id fieri quadam epanalepsi , ut quod vers. 29. dictum fuerat, id sequente, aliis repetatur verbis. Itaque, si illis credimus , *impones pectorali judicii Vrim & Thummim*, hoc modo exponendum : *Gemmarum ordines puros, cla-*

B 2

ros,

(a) Exod. 28. 29. 30.

24
27
26

ros, *summaque arte expolitos dabis.* Hanc vero suam sententiam hisce rationibus tueri conantur; & quidem I. Quia in descriptione sacrarum vestium, nihil occurrit, quod *Vrim & Thummim* insigniri posset nomine, præter duodecim lapides pretiosos in Pectorali. II. Quia adeo promiscue *Vrim & Thummim*, & pectoralis gemmæ, sumuntur, ut nihil aliud inde conligere liceat, nisi quod gemmæ sint ipsissima *Vrim & Thummim*. Sic Exodi tricesimo capite, commate octavo & sequentibus, mandati divini, quod supra jam adpositum fuit, & compositio Pectoralis juxta præscriptum Dei, cum suis ornamentis omnibus describitur: Sed facta mentione gemmarum quidem, siue duodecim lapidum pretiosorum: At non itidem *Vrim & Thummim*. Videlicet, quia illi ipsi lapides, erant *Vrim & Thummim*. At Levitici octavo capite, commate octavo, in historia consecrati Aaronis hæc tantum legimus: *& adposuit ei pectorale Sacrum, indideratque pectorali sacro Vrim & Thummim.* Nulla scilicet facta pretiosorum lapidum expressa mentione. Quia nominibus *Vrim & Thummim*, connotata insigni etiam usu, significabantur. III. Quia Moses, qui tanta religione versatur in describenda Sacrarum vestium, & materia, & forma; quid sint *Vrim & Thummim*, haud dubie pluribus indicasset, si aliud quippiam fuissent, quam duodecim illi lapides pretiosi. IV. Argumentantur à typo, ad antitypum; quia videlicet gemmæ in pectorali, uti quoque omnia instrumenta & vasa sacra, quæ in cultu umbratili adhibebantur, debuerunt adumbrare Christum, illiusque perfectiones & gratias, electis suis collatas, ita ut lapides isti, qui dicebantur *Vrim*, hoc est *lucidissimi*, & quasi *ardentes ignes*, ob summum splendorem, & *Thummim*, seu *perfectissimi*, ob nitorem, & pretium, vivide picturæ fuerint, summa

summæ cum Christi *doctrina*, tum *perfectionis*, verique oraculi Dei mundo exhibiti.

§. IX.

Sed & hanc sententiam, licet à Magnis defendatur viris, & quidem haud uno rationum genere, neutiquam meo ad probare possum calculo; & facilis est, meo quidem arbitrato, ad singulas adlatas rationes responsio. Quod enim ad primam attinet; eam minime solidam esse, nemo non videt, sed mera duntaxat opinione, seu conjectura, niti. Taceo, frustra & satis pro autoritate dici, nihil aliud per *Vrim & Thummim*, intelligi posse; præter istos duodecim lapides pretiosos in pectorali. Contrarium enim, & longe aliud quid per Urim & Thummim designari, mox evincam. Secunda, nil nisi speciem aliquam veritatis habet, nullam verò solidam, vel sufficientem probationem. Etenim non est, quod quis miretur, Mosem Exodi vicesimo nono capite, nullam mentionem *Vrim & Thummim* fecisse; nam quid opus erat illa repetere, quum capitis antecedentis, versu tricesimo, eadem prolixè satis descripsisset? Lubens quoque concedo, Levitici octavo capite, in historia consecrati Aaronis, duntaxat *Vrim & Thummim*, nullam verò gemmarum, expressam mentionem factam esse; verum inde inferri posse, *Vrim & Thummim*, ipsissimas duodecim gemmas fuisse, hoc est quod pernego. Quum enim gemmarum valorem, formam, numerum, nec non ordinem, satis prolixè describi curasset Legislator Exodi vicesimo octavo capite; quorsum, quæso, paulo post easdem repeteret, & tam obscure nominibus *Vrim & Thummim*, inculcaret? Et licet repetitiones haud infrequentes, in Mosis libris esse,

B 3

nemo

24
27
26

negare queat ; non est tamen consuetudinis Mosaicae , quod clare dixit, id obscurissime sequentibus repetere verbis. Otiosa itaque fuisse hujuscemodi repetitio, quam satis curata illarum mentio expressa esset. Si quandoque mentio fit των *Vrim* & *Thummim*, omiffis gemmis Pectoralis, & vice versa ; hoc ideo potest contigisse, quod hæc essent individua, & Pectoralis nomine edito una intelligantur gemmæ ei veluti inoculatae ; nec solet Moses in circumstantiis omnibus referendis, ubi vis aequè curatus esse ; multa enim compendii ergo uno præterit loco, quæ altero fufius enarrat, uti patet de compositione olei & Thymiamatis, (a) de modo inscriptionis nominum in lapidibus onychinis, (b) quæ fufè tamen enarrat capite vicefimo octavo. E contra, quædam aliis capitibus suppleantur, quæ capite vicefimo nono subtricerentur, ut patet de veste medio (c), de coronulis mitrae (d), de speculis mulierum, ex quibus factum est labrum æneum (e), de metalli pondere in fabricam infumpto (f). Non mirum itaque, *Vrim* & *Thummim* nonnullibi subtriceri & subaudiri ; præsertim cum vice versa illa alibi (g) exprimantur, & subtriceantur gemmæ Pectoralis : *Pectorale*, inquit *aptauit*, in quo *Vrim* & *Thummim*. Ubi in Pectorali duodecim ejus lapides per compendium intellexit, expressit vero & nominavit *Vrim* & *Thummim*, quæ maxime Sacerdotem exornare debebant. Et sane, quid opus est verbis ? Cettum enim est, gemmas Pectoralis ita ei adfixas fuisse, ut inde neutiquam revelli possent ; neque Pectorale primum Aaroni imponebatur, deinde gemmæ ei inferebantur. At vero *Vrim* & *Thummim*, post adpositum Pectorale, Aaroni addita dicuntur, loco mox cita-

(a) Cap. 37. 29. (b) 38. 6. (c) 36. 33. (d) 39. 27.
 (e) 38. 8. (f) 38. 24. (g) Levit. 8. 8.

to (b) ubi , quo ordine Aaronem Sacerdotalibus ornamentis induerit Moses, narratur. *Tum imposuit ei Pectorale*, וַיִּתֵּן אֵלָיו חֹשֶׁן, & *Pectorali addidit Urim & Thummim*. An jam induto Pectorali additæ sunt Gemmæ? Nemo Profecto dixerit. Si itaque *Urim & Thummim* nihil aliud fuerint, quam gemmæ illæ duodecim, de quibus Legislator Exodi octavo & vicesimo capite per aliquot commata satis prolixè mandaverat; quid attinebat, hæc deinceps verba subjicere, si nihil novi contineant. *Pones vero (i) in Pectorali Sacro Urim & Thummim, & erunt super cor Aaronis quando ingredietur coram Iehovah; & gestabit Aaron iudicium filiorum Israelis, super cor suum.* Neque iuvat hic excipere, eas gemmas denuo per *Urim & Thummim* inculcari, ut usus eximius ac specialis harum gemmarum significetur, videlicet, quod illæ forent instar oraculi, per quod Deus consultus, responderet; quasi dicat, *pones Urim & Thummim in Pectorali*, hoc est, *pones Oraculum in Pectorali*. Nam hoc satis significatum erat nomine *Pectoralis iudicii*, uti antea ostendimus; idque clarius, vel saltem æquè clare, quam nomine *Urim & Thummim*. Consequenter, si scriptura *Pectorale iudicii* voluerit exponere, aliis & clarioribus usæ fuisset verbis, quam *Urim & Thummim*. Et licet quoque, Exodi tricesimo nono capite, nulla expressa mentio טֹוּר Urim & Thummim fiat, ubi tamen fabrica Ephod exactè describitur, tamen Exodi vicesimo octavo capite eadem satis exprimuntur, & ex eo loco satis intelligi queunt; videlicet, eadem juxta mandatum divinum inserta fuisse *pectorali*. Taceo jam, istic loci ea duntaxat fere recenserem, quæ ad ingenium Artificis *Bezaleel* spectant. Talia autem sunt lapides, catenula, vectes, tabulæ, annuli &c. Non vero *Urim* &

(b) Levit 8. 8. (i) Exod. 28. 30.

& *Thummim*, quæ non ab Artifice Bezaleele, sed ab ipso Deo immediate producta sunt, uti mox ostendam. Itaque *Vrim* & *Thummim* diversa erant à Pectoralis gemmis, ornamentumque ei superadditum. Neque magis fringit tertia ratio; quod enim Moses pluribus non indicaverit, quid sint *Vrim* & *Thummim*, neque eximium ac specialem eorum usum, fusius expositum dederit; hoc ideo contigit, quod hæc in sese continerent magna quædam mysteria, quæ sibi uni Deus, Israelis Rex, reservari voluit. Hinc conveniebat, *Urim* & *Thummim*, nominibus tantum suis, exprimi & indicari. Neque est, quod quis hic urgeat analogiam typi cum suo antitypo; ex antitypo enim ipso, seu veritate hujus typi, suo loco satis evidenter ostendam, *Vrim* & *Thummim* non Christi, verum *Spiritus* Christi, umbras, vel delineationes fuisse.

§. X.

Sed dixerit forte quispiam, hæc duodecim gemmæ nonnullibi (a) adpellantur מלאים, id est, *plenitudines*, ergo non mirum, si eadem quoque vocentur *Vrim*, id est, *Luces*, *illuminationes*, & *Thummim* seu *perfectiones*. Verum gemmæ istæ non vocantur *millum*, sed מלאים בני לapidum *plenitudinum*, hoc est, quibus cælaturæ Ephod, & Pectorale ipsum impleri, & exornari debebant, uti gemma palam annuli implere solet. Verum *Vrim* & *Thummim* non adpellantur *illuminationum* seu *perfectionum lapides*, sed simpliciter *illuminationes* & *perfectiones*.

§. XI.

Ex hisce omnibus itaque, luce meridiana clarius constat,

(a) Exod. 25.7.

stat, *Vrim* & *Thummim* neutiquam fuisse ipsas gemmas in Pectorali Pontificis maximi corruscantes, sed aliquid ab ipso pectorali, & duodecim gemmis distinctum. Ne jam dicam, lapides nullo modo potuisse insigniri nomine *Urim*, hoc est, *splendorum*, *corruscationum*. Tantum enim abest, ut reliqui lapilli, cateroquin pretiosi, extrinsecus infertur, ac foris conspicui, ejusmodi lucem ac splendorem habuerint, ut præ illo fuerint obscuri, & *σνορωδει*. Accedit, pretiosissimum istud monumentum, artificio humano neutiquam esse fabrefactum, verum seorsim immediate ab ipso Domino suppeditatum. Nusquam enim legimus, Deum vel Mosi, vel ulli alii mortalium in mandatis dedisse, ut conficeret *Vrim* & *Thummim*, quod tamen factum est in reliqua supellectili sacra. Narratur tantum, Mosi imposuisse Pectorali *Vrim* & *Thummim*, & Aaroni addidisse, post adpositum Pectorale. Neque sane Mosi erat facere, vel ponere oraculum in hisce lapidibus, sed Dei; adeoque non bene dicitur, *pones*, vel *dabis* in pectorale *Vrim* & *Thummim* seu oraculum, sed dicendum erat: *Ego ponam, ego dabo per lapid: s hocce oraculum*. Neque hoc silentio præteriri debet, *prefixum var*, quod commode potest verti per *autem*, ut *וירן*, (a) sit, *pones autem* plane designare novum quid, & omnino diversum præcipi ab eo quod præcesserat, videlicet fabrica duodecim gemmarum.

§. XII.

Hanc nostram porro sententiam, videlicet *quædam* tradita fuisse Mosi *Vrim* & *Thummim*, magno consensu confirmant Hebræorum Magistri, & quidem ex eo, quod (uti & à nobis observatum fuit) eorum ab artifice confici-

(a) Exod. 28. 30.

ciendorum nulla plane fiat mentio, quæ tamen vasorum & vestium fatis crebra iniiciatur. Sic R. If. Abravanel (α) *Quia in Choschen erant Vrim & Thummim*, מעשה שמים opus coelorum, (hoc est opus plane divinum,) & non opus Artificis. ideo, ut reliqua vasa & vestes, non dicantur facta esse: ad indicandam quoque prerogativam, vel excellentiam, He notificativum (seu demonstrativum) occurrit, uti in הכרונים (β) atque idcirco sanctum est, uti Gerundensis scripsit. Hisce fere gemella tradit Rabbi Menachem (γ), qui expresse dicit, non fuisse opus Artificis, sed duntaxat mysterium traditum Mofi ex ore Dei; vel ipsum opus Dei, quia Moses dicitur duplicitari Pectoralis indidisse Vrim & Thummim, cum jam Aaronem Ephod & Pectorali amicaret. Eandem quoque tuentur sententiam Thomas Thailorius, Hottingerus, alii.

§. XIII.

Ut itaque in re usque adeo obscura, aperiã id quod sentio, dico, neglectis commentationibus operosis & peregrinis, Vrim & Thummim fuisse, rem plane diversam à Pectorali & duodecim gemmis; videlicet pretiosissimum aliquod monumentum, vel reconditum quoddam, nec non admodum corruscans, & perfectum corpusculum ex auro; vel aliquid huic simile, ab ipso Deo immediate confectum, à Mose vero, ex peculiari Numinis præscripto duplicaturæ Pectoralis fieri, ceu marsupio, tū insertum, postquam jam penitus ornamentis suis instructum esset ipsum pectorale. Illud vero solo nomine voluisse Deum indicari, vel exprimi, absque ulteriori hujus pretiosissimi monumenti

(α) Fol. CXCIX. col. 3. (β) Gen. 3. 24. (γ) Comment in Exod. 28.

nimenti, explicatione; ne populus idem multiplicare, effingere, atque ita eodem ad idololatriam abuti possit. Cum primis verò, ut eo evidentior esset analogia, inter hunc typum, & rem, seu personam, hocce typo effigiatam. Quæ sententia non solum nihil absurdi habet, sed etiam peripicua, & simplicissima est, quam suadent verba, & circumstantiæ textus, nec non analogia typi cum suo Antitypo, uti mox ostendam. Mirum certe, nisi *Vrim* & *Thummim* fuerint aliquid materiale, atque adeo *corpuseulum* quoddam, & quidem pretiosissimum, uti omnis vestitus Pontificis Maximi, admodum pretiosus, quinimo regius, fuit; insuper mirum in modum *corruscans*, *lucens* & summe *perfectum*, uti liquido ex ipsa nomenclatura constat. Qualem verò figuram habuerit, oblongam, rotundam, vel quadratam (quod ultimum magis simile vero esse videtur, ob ipsius Pectoralis quadratam formam) vix est, ut certo definiamus, quum altum hac de re apud Mosem sit silentium. *Reconditum* verò hoc monumentum fuisse ab Israelitarum conspectu, quis dubitet? Quum, uti dictum, pectorali duplicato, intrinsecus insertum fuerit. Nomine tandem tenus, veteri populo innotuisse, inde liquet, quia solo nomine Spiritus Sanctus passim exprimere, hocce *κειμηλιον*, & nullum alium ejusdem usum indicare solet, nisi duntaxat hunc unicum, videlicet, Numen consultum per *Vrim* & *Thummim*, seu per Sacerdotem Maximum, *Vrim* & *Thummim* indutum, respondisse, & oracula dedisse. Hinc R. David. *Non est*, (inquit) *apud nos manifestum, quid hæc, (videlicet Vrim & Thummim,) sint, vel significent.* Cui quoque assentitur Thomas Thailorius. (N) *Quodnam igitur (ait) pretiosissimum istud fuerit monumentum, nemo mortalium nobis dixerit.* Objiciet

C 2

forte

(N) In Christo Revelato. pag. 131.

24
27
26

forte quispiam, *Pectorale* erat valde parvum, adeoque non videtur capere potuisse præter duodecim lapides pretiosos, corpusculum aliud quoddam, quale jam diximus fuisse, *Vrim & Thummim*. Verum respondeo, *Pectorale* ad hoc satis erat magnum: nam tam in longitudine quam in latitudine habebat spithamam; potuit ergo commode duplicaturæ *Pectoralis* inferi hocce monumentum, ac
 χειμωνιον.

§. XIV.

Satis igitur clarum est, quænam res sint *Vrim & Thummim*. Usus autem earum conspicitur, vel quoad interrogandi modum ac rationem; vel quoad responsa. Illud certum est, solum penes Pontificem summum jus fuisse interrogandi Deum per *Vrim & Thummim*. Dicitur quidem Saulus Rex Deum consuluisse; *an descendens (ב) persequar Philistæos? an traditurus es eos in manum Israelis?* Verum per Ahiam filium *Achitobi*, id temporis Ephodum gestantem, consuluisse intelligendus est. Alibi (ג) quoque David *interrogasse Numen* perhibetur: Sed per Abjatharem filium Achimelechi, sacerdotem *Ephod* enim Pontificium & Sacrum *Pectorale* nisi à summo Pontifice usurpari absque scelere non potuit; qui videlicet vel primarius esset, vel saltem *Sagan* vicarius, & secundarius: Huc aurigantur Legislatoris verba: *Eternum ad cor Aaronis (ד) cum in conspectum Iehova veniet, portabitque Aaron semper iudicium Israelitarum ad cor suum coram Iehova. Iudicium, hoc est, Pectorale iudicii, per metonymiam, sicuti & nonnullibi (ה) Testimonium* vocatur ipsa *Arca*, in qua erat *testimonium*, id est, lex; sive Tabulæ
 foc-

(ב) 1. Sam. 14. 37. 3. (ג) 1. Sam. 23. 2. 3. 4. (ד)
 Exod. 28. 30. (ה) Exod. 27. 21.

fœderis , continentes verba fœderis , sive quibus intervenientibus Deus cum populo fœdus faciebat , h. e. ei promissiones maximas proponebat.

§. XV.

Ita ut merito Eruditis vapulent Magnus *Grotius*,^(a) *Cunæus*,^(β) *Simon Episcopus*,^(γ) Alii; qui ut potestatem Regum Hebræorum circa sacra plus justo eveherent , tam longe progressi sunt, ut statuerent, Davidem ipsum in Regem unctum, usurpasse Decus Archieraticum, indutoque Ephodo, num copias in hostem auspicato foret educturus, ex Numine quæsisse. Sententia sane, quæ non tantum Hebræorum scitis, verum etiam S. Scripturæ, decus hocce ad tribum Levi (*δ*) restringenti, dilucide refragatur. Adducunt quidem fulciendæ sententiæ locum: *וַיִּגַשׁ אֲבוֹתָדָה (ε) אֶת־הַאֵפוֹד אֶל־דָּוִד*, ex eoque conligunt, Davidem, accepto Abjatharis amiculo, *α. μ. ε. τ. ω. ς* oraculum consuluisse. Caterum licet *Cunæus* ad omnes litterarum Hebraicarum peritos provocare, eosque iudices ferre non dubitet: Nihil tamen veremur, plane contrarium adferere; atque adeo adfirmare, textum id neutiquam, evincere, quod Doctissimus vir, alique, cum primis quoque *Spencerus* (*ζ*) exinde inferre conati sunt. Dicitur ibidem Abjathar attulisse Ephod ad Davidem. At num propterea illico, ut indueret Rex? Minime gentium. Verum, ut consuleret Numen per Pontificem veste illa induendum. In verbis Davidis: *וַיִּגַשׁ אֲבוֹתָדָה לִי הַאֵפוֹד*, ex particula *לִי* pa-

C 3 rum

(a) Libro de jure Sacro, cap. VI. p. 126. (β) Libr. I. de Rep. Hebr. c. 14. (γ) Libr. III. Inst. Theol. Sect. IV. c. XVII. fol. 196. (δ) Deut. 23. 8. (ε) 1. Sam. 30. 7. (ζ) *De Urinis & Thumim*, cap. VI. Sect. II.

24
27
26

rum efficitur, quæ ibi est pure expletiva, hominis imperantis, quam & alibi sæpius adhiberi solitam, haud uno exemplorum genere docet R. Bechai^(η): verba itaque illa Davidis non significant: *Adplica quæso mihi Ephodum*: sed *adfer mihi Ephodum*; hoc est, *adfer prome*, meam ob causam, vel de mea causa, sive pro me Deum interrogaturus. Quo sensu præfixum ל cum adfixo secundæ personæ singularis mascul. nonnullibi (θ) occurrit: לך אמר לבי *tibi dicit cor meum tibi*, hoc est, tuam vicem, tuo loco, tuo nomine, pro te. Neque verisimile fit, præsentem Pontificem, id sibi muneris sumpturum fuisse religiosissimum Davidem, quem minime latebat, eam vestem non nisi Pontifici convenire. Ita ut verissima sint, quæ nonnullibi (α) commentatur *Abravanel. Præceptum de Vrim & Thummim* כ"מ וְלַעֲנִי אֶלְעָזָר הַכֹּהֵן יַעֲמֹד שְׁהִיָּה כֹהֵן גֹּדֵל *spectabat Sacerdotem Magnum* כ"מ וְלַעֲנִי אֶלְעָזָר הַכֹּהֵן יַעֲמֹד שְׁהִיָּה כֹהֵן גֹּדֵל Sicut dictum est (b): *Et coram Eleazare Sacerdote stabit, qui erat Pontifex.* Quam itaque rationem habuerit Spencerus, ut crederet, primum Israelitarum regem in propria persona consuluisse *Vrim*, ne Oedipus quidem conjecta verit. Saltem id ex loco (c) neutiquam probari potest; cum ibidem nihil aliud dicatur: nisi quod Deus ad interrogata Saulis *non responderit, nec per somnia, nec per Vrim, nec per Prophetas.* Saulem interrogasse Deum, ex isto loco constat: Sed quomodo consuluerit, non exprimitur. Sed ponamus eum per *Urim* interrogasse, omni dubio procul illud profano ritu fecit, non quidem in propria persona, sed per aliquem Sacerdotem, qui adhuc illius partibus addictus erat, & cui forsan in præmium impietatis & profanationis summum Pontificatum promiserat.

(η) Fol. 162. col. 3. (θ) Pl. 27. 8. (α) Ad cap. XX. Judicum. (b) Num. 27. 19. 21. (c) 1. Sam. 28. 6.

ferat. Interim credibile non est, eum consuluisse per verum *Vrim*, cum illud fuerit in manu Abjatharis, veri Pontificis maximi, qui jam ad Davidem confugerat cum *Ephodo*, quando Saul ejus Patrem Achimeleem ob concessos Davidi panes occidit. (d) Noluit vero Deus respondere Sauli ob ejus *amrud*, contumaciam, & impietatem, qua occiderat Sacerdotes Jehovah, & Davidem persequabatur. Quare impientissimus Rex videns, se à Deo sperni; confugit ad Pythonem, juxta illud athei.

Flectere si nequeo, superos, Acheronta movebo.

Saulem imitatus est Oedipus apud Senecam, qui oraculis aliis frustra tentatis, tandem necromantiam tentavit.

§. XVI.

Neque autem Pontifex Numen per *Vrim* & *Thummim* solebat interrogare de mysteriis fidei, seu religionis: Verum de præliis ineundis, acieque instruenda, & ancipiti bellorum eventu, & negotiis regni, atque Regum incolunitatē. Sic Israelitæ post mortem Josuæ Deum consuluerunt in hæc verba: *Quis (a) adscendet ex nobis contra reliquos Canaanos, in principio ad pugnandum contra eum?* Consuluerunt certe Deum per Pontificem, sive Eleazarem, sive, si is mortuus erat, per Phineës, uti ait Joséphus, (b) filium, & successorem ejus, pectorali, ac *Vrim* & *Thummim* indutum; quamvis tantundem quoque per sortes aut per Prophetam alias fieri potuerit. Etenim neque sortium neque Prophetæ facta mentione, tantum Deus, & verbotim, respondisse memorantur. Disertius alibi (c) *Israelitarum quadraginta milliaperhibentur adscendisse ad*

(d) 1. Sam. 22. 20. (a) Jud. 1. 1. (b) Lib. V. c. I. Antiq. (c) Jud. 20. 17. 18.

domum Dei, hoc est, in *Silo*, ubi id temporis adhuc, teste Josepho, residebat tabernaculum cum Arca fœderis, *ut illum consulerent*, per summum Sacerdotem, videlicet. *Dixeruntque: Quid ex nobis ad hanc pugnam primum adscendet contra Benjaminitas?* David (d) quoque per Abjatharem, numen interrogavit, satisne tutum sibi esset, apud Ceilanos commorari? Audiverat etiam Saulem armato exercitu Ceilam petere. Abjathar enim fugiens Saulem, non ita pridem Ephod, cum *Vrim & Thummim* secum attulerat, ut patre Achimelech jam occiso à Saule, ejus loco in Pontificatum succederet, ac Deum pro Davide per Ephod consuleret.

§. XVII.

Hoc quoque notandum est, licitum Pontifici non fuisse, Deum interrogare pro aliquo homine privato, vel in cujusvis absque discrimine gratiam. Nec enim comperimus, Numen unquam consultum per *Vrim & Thummim*, nisi urgente populo, vel jussu Regum, Ducumve; qui totius populi personam representabant. Quapropter cum Deus Josuam Ducem constitueret Israelitarum, inter alias prerogativas hanc quoque disertim expressit (e): *Et stabit ante Sacerdotem Eleazarem: Isque interrogabit pro ipso, juxta ritum sive judicium Vrim, coram Iehovah.* q. d. Eleazar Pontifex indutus Ephod, & pectorali, inter cujus plicam, seu duplicaturam, *Vrim & Thummim* interjacent, de rebus dubiis Josuæ occurrentibus interrogabit Dominum, itaque ab eo de omnibus erudietur ac instruetur. Sed & apud Saulem Doëg (f) Achimelechum Pontificem

(d) 1. Sam. 23. 6. 11. (e) Num. 27. 21. 22. (f) 1. Sam. 22. 10.

tificem huius præcipue quasi criminis infimulavit, quod infcio rege, *Ihovah* pro Davide consulisset, videlicet per Ephod, in quo erant Urim & Thummim. Achimelech enim Ephod indutus pro Davide Numen consulebat, quia via pergere, & quid agere deberet David, & quis rerum suarum futurus esset exitus, prosper, an adversus.

§. XVIII.

Modum interrogandi quod attinet; non desunt, qui fabulentur, interrogata codicillis inscripta, hos verò duplicaturæ Sacri pectoralis inferi consuevisse. Quam erroneam sententiam unde hauserint; nemo facile, vel conjectando adsequetur. De loco in quo interrogare Numen solebat Pontifex Maximus, non eadem est Interpretum sententia. Sunt enim, qui existiment, interrogationem factam fuisse in ipso adyto, sive Sancto Sanctorum. Fatemur quidem, solum Sacerdotem Magnum *Sanctum Sanctorum* ingredi potuisse, negamus tamen, eum cum *Vrim & Thummim*, locum illum ingressum esse, sed sanctum tantum, atque ibidem Numen consuluisse. Ita tamen ut faciem suam verterit versus Arcam foederis, quæ erat in Sancto Sanctorum; nam locum illum non ingredi Pontifici licebat, nisi semel in anno, videlicet decimo mensis Tisri, magno expiationis die, quo die omnia vestimenta aurea, & per consequens quoque pectorale deponere debebat, ut se albis vestibus non nisi isto die induendis amicaret, uti docetur Levitici capite decimo sexto. Et licet dicatur Pontifex consuluisse coram *Arca*, tamen exinde neutiquam consequitur, ipsum adytum ipsum ingressum fuisse. Hoc enim stando in loco sancto fieri poterat, facie duntaxat versa ad Arcam,

D

quæ

quæ erat in Sancto Sanctorum, uti Hebræorum Magistri recte observant.

§. XIX.

Demodo quo Deus responderit, prolixior controversia est. Et mirum profecto, quantum heic sententiis variatum sit. Qui nugantur, quæstionem super qua Deus consulebatur, scriptam inferi consuevisse duplicaturæ pectoralis, aut super humeralium commissuris; iidem hoc quoque addunt, cum responso Dei scripto postea rursum eductam fuisse. Antiquissimi ex Judæorum Magistris fabulantur, Numen ipsum ad quæsitâ respondisse per aliquem fulgorem, aut lucem, quam emitterent gemmæ pretiosæ: Atque hoc modo quidem, ut litteræ illæ lucentes eminent, & supra reliquas adscenderent in altum, cum illæ antea per sculpturam fuerint profundæ. Veniente aliquo ad Pontificem, inquit R. Bechai (a) *consultum per Urim & Thummim, sic res peragitur. Stat Pontifex facie ad arcam conversa; Consulens vero à tergo Sacerdotis, qui non utitur voce nimis elata, nec nimis submissa & intus murmurante, sed qualis est hominis secum orantis. Statim igitur ut ore suo profert, Spiritu S. indutus Pontifex, oculis in pectorale defixis, videt in eo visionem prophetica.* Adscende, aut, ne adscende, literis è pectorali protuberantibus. Hisce gemella tradit R. Maimonides (b). Verum enim verò, hic dubium quoddam oritur: Si litteræ, nominibus tribuum prominulæ rem faciendam, aut omitteendam indicaverint; sequitur, omnès litteras totius Alphabeti in nominibus duodecim tribuum contentas fuisse.

(a) Comm. in Pentateuch. fol. 106. col. 4. (b) Hilcoth כלי המקדש cap. X.

fe. Sed posterius falsum, consequenter & prius. Respondent vero ad hoc Veteres in *Beth Israel* (c) *Ecce non scriptum est tzadhe: dixit Samuel filius Isaac, scriptum est ibi ABRAHAM, JIZCHAK & JACOB. Ecce! Desideratur ibi Theth: Dixit Rab Acha Filius Jacob שבתו ישראל כתיבם Schibte Ieschurin, vel tribus Israelis ibidem scriptum erat.* R. David Kimchi Talmudistarum cæteroque placitis haud admodum deditus, eandem quoque tueretur sententiam: Dicit enim (a): *Duodecim tribus inscripta erant in illis: Insuper ajunt D. D. nostri b. m. Scripta in illis nomina Abraham, Iizchak, Iacobi, והנה כל התיבות בהם ut ecce! adeo omnes litteræ Alphabeti ibi exstiterint.* Sic illi quidem, ut obtineant ipsarum litterarum fulgore rem indicatam fuisse, docent, & addita trium Patriarcharum nomina, contendunt. Verum hæc omnia mera tantum sunt Magistrorum figmenta. Scriptura enim tantum duodecim tribuum commemorat nomina, & Numen respondisse per *Vrim & Thummim* in genere, refert, & ne gru quidem habet de hisce trium Patriarcharum nominibus: Neque vero fieri poterat, ut gemmæ fulgore suo loquerentur, & prænunciarent modum, tempus, aliasque rei futuræ circumstantias. Quocirca si hæc mirifica commentatio obtineat, utique vel divinandum Pontifici, vel alio rursus oraculo, aliis *Vrim & Thummim* opus fuerit, unde certior redderetur, quonam ordine disponendi essent characteres. Taceo, Numen nonnunquam quoque prolixa oratione consilium suum aperuisse, cujus litteræ omnes in duodecim nominibus tribuum Israelis frustra quærerentur. Quale illud est allicubi (b) responsum Davidi redditum. *Nec adscendito*

D 2 recta.

(c) Fol. CIX. col. 1. (a) Incap. 20. Jud. (b) 2. Sam.

recta. Diverte à persequendis iis, ut aggrediaris eos ex adversa mororum. Et quum audieris sonum incessus in capibus mororum tunc moveas te: Tunc enim Iehovah prodierit ante te, ad percutienda castra Philistæorum. Certe nullus hic esse usus potuit fictitii splendoris, ut adesset, vel abesset. Equidem vix dubito, quin sequiorum temporum Judæi Hellenistæ commentum illud ab Ægyptiis hauserint. Hos enim præsentiam Numinum suorum ex abundantia & fulgore adparentis luminis conlegisse, Jamblichus auctor est.

§. XX.

Verum ut meam tandem sententiam, de responso per *Urim & Thummim* in medium quoque proferam, putem I. Pontificem Maximum, quum vellet consulere Numen, induisse Ephodum, & pectorale cum suis gemmis, quibus pectus ipsius velut inflammatum, coruscabat, nec non cum *Urim & Thummim*, ornatum. Ita enim nonnulli (a) dicitur: *Eleazar interrogabit iudicium Urim coram Iehovah*, h. e. Eleazar omnibus vestibus sacerdotalibus, & Pectorali, maximeque *Urim & Thummim* indutus, interrogabit Dominum. Ita enim Numini placuerat, summo Pontifici nullam revelationem largiri, nisi Ephodo & pectorali, cum *Urim & Thummim*; rite vestito: Et sicuti Deum consulere solebant per Prophetas, ita & per Pontificem, Pontificalibus *Urim*que vestitum. II. Rogaturum propius ad Sacerdotem maximum accessisse, & stetisse coram ipso; qua de causâ Moses, loco mox citato de Josua oraculum consulturo, dicit: *Stabit coram Eleazare*; & apud Samuelem, uti antea notatum, dicitur Sacerdos

(a) Num. 27. 21.

cerdos *admovere pallium consulenti*, hoc est, in ipsius gratiam. III. Consulentem Pontifici proposuisse quæstionem, uti ex ante adlegatis locis (b) liquido constat. IV. Deum à Sacerdote *Vrim & Thummim* gestante, certo ritu invocatum, respondisse, non solum per internam illuminationem intellectus, & persuasionem efficacem de certissima responsi veritate; sed quandoque articulata voce, responsum ad quæsitam dedisse. Quod ultimum mihi quidem Spiritus Sanctus clare satis insinuare toties ferme videtur, quoties Numen legimus ad hunc modum rite consultum. Post Josuam rebus humanis exemptum Israelitæ oraculum Dei ad *Vrim & Thummim* scitabantur. *Sed & locutus est Iehovah; (c) Iudah primus adscendet. Ecce traditi terram illam in manuejus.* Davidi quoque, cum de consilio Saulis & Ceilanorum fide quæsitisset; immo vero *dixit Iehovah, (d) adscendet Saul & Ceilani te traderent.* Eidemque de iustissima expeditione contra vim Amalecitarum, qui urbem Sicilegum crepitantibus tradiderant flammis, & captivas duxerant mulieres ex ea, & sollicito, & sciscitanti, *dixit Iehovah (e) insequere. Nam certo certius adsequere, ac plane adseres.* Hanc vocem vero ipsum Numen protulisse, non vero Sacerdotem, uti senserunt *David Kimchi, Clericus, Alii*, ex omnibus textuum citatorum circumstantiis, quam evidentissime constat. V. *Vrim & Thummim* consequenter symbola quædam fuisse, atque pignora, quibus rite adhibitis Deus, qui lucem habitat inaccessam, convenienter interrogatus, ex pacto, & promissione, de rebus occultis, & dubiis eventibus, responsa edere voluerit, minime ambigua, atque ita salutaribus consiliis populum adjuvare suum.

D 3

§.XXI.

(b) 1. Sam. 14. 37. 3. 1. Sam. 23. 2. 3. 4. (c) Jud. 1: 1. 2.
(d) 1. Sam. 23. 11. 12. (e) 1. Sam. 30. 8.

§. XXI.

Operæ autem pretium est, ne illud quidem negligere, quo tempore videlicet cessaverint *Vrim & Thummim*. Josephi (a) hæc verba sunt : *επαυσαντο μεν εν οτι εασην και ο Σαρδονξ τε λαμπην ετεσι, διακοσμοις προτηρον, η ταυτην εμε συνδεναι γεγραψιν, τε δευ δωσχεραινοντος επι τη παρεμβασει των νομων.* Hoc est. *Desierunt igitur quidem Pectorale & Sardonix fulgere annis ducentis, antequam hæc scriberem, Deo irato propter legum transgressionem.* Absolvit vero Josephus libros Antiquitatum, uti ipse ultimi libri postremis verbis refert, anno Principatus Domitiani decimo tertio. Qui est Æræ Christianæ circiter XCIII, Necessum est igitur, ut vix centenis ante Sospiratorem natum annis, desierit hoc oraculum. Id quod *λιαν μεγα αιτημα* est, & quod nemo facile Josepho, viro cæteroquin magnæ in his Autoritatis, dederit. Nam desitum jam pridem fuisse oraculum ante dominatum Judæ Machabæi Auctor libri primi Machabæorum capite quarto, commate quadragesimo quarto, & sequentibus haud obscure innuit. *Etenim sub initia dominatus Iudæ cum primores Iudæorum consilium inirent de altari holocausti contaminato, quid eo facturi essent; inquit Scriptor iste, optimum illis consilium incidit altare destruendi, ne forsitan probro ipsis esset, quippe quod gentes polluisent. Quam ob rem altaris lapides in monte Templi, opportuno in loco, deposuerunt; donec oriretur Propheta, qui de his responderet.* Certe Prophetam exspectare, qui nodum illum Gordium dissolveret, nihil fuisset opus, si viguisset oraculum *Vrim & Thummim*. At Judæorum Magistri passim diserte pronunciant, sub Domo secunda per *Vrim & Thummim*

(a) Antiq. l. 3, c. 9.

mim responsa nulla edita fuisse; sed oracula statim cessasse post Templum primum, & Prophetas mortuos. Sic diferte Don. Is. Abravanel (a) לא היה הכהן בכל זמן בירת (a) משיב באורים ותומים hoc est, *toto illo tempore, quo secunda domus stetit, Pontifex non respondit per Vrim & Thummim.* Similiter Josephus Gorionides, qui nonnullibi (β) refert, Alexandrum Macedonem, cum Deum de Belli Persici exitu consuli peteret, isthoc responsi, tulisse à Pontifice. מיום גלות הבית הזה וגלו' ככל נעלמו ממנו האורי' hoc est, *à die exilii domus hujus in Babel, abscondita sunt à nobis Vrim & Thummim.* In scripturis certe post mortem Salomonis nullum legitur exemplum oraculi redditi e propitiatorio. Et cum Pontifex responsum Domini coram Arca, hoc est, facie sua ad arcam conversa, petere debuerit, sequitur, oraculum etiam non fuisse editum, deficiente Arca; Arcam jam & propitiatorium in Templo secundo non fuisse, vulgata Judæorum confessio est. Et licet quoque post captivitatem Babylonicam eorum restitutionem expectatam fuisse, ex Esræ capite secundo, commate sexagesimo tercio, & Nehemiae septimo capite, commate sexagesimo quinto, videri queat, ubi Hattisrta dixisse legitur, *caverent, ne comederent de sanctitate sanctitatum,* ער עמור כהן, *donec veniret Sacerdos cum Vrim & Thummim.* In usu tamen ea iterum fuisse, nupiam docent Sacra monumenta. Pontifex itaque dicitur adstetisse cum *Vrim & Thummim*, hoc sensu, videlicet. Quatenus gemmosum pectorale pars quædam eximia fuit, vestimenti Sacerdotalis: non vero eo, quasi oraculis impetrandis ultra inserviverit. Hebræorum quoque Magistri passim in suis Scriptis (γ) jacturam hujus oraculi de-

(a) Fol. CC. col. 1. (β) Lib. I. c. V. fol. 15. (γ) Gem. Hieros. c. 11. f. 32. col. 1. Massech. Joma c. 1. Item Massech. Sota c. IX. f. 48 col. 2.

plorant : Id quidem confitentur , Pontifices simulacrum quoddam pulcherrimum, & quantum fieri potuit, curatissima imitatione effectum , atque adeo *αναλογον* quoddam portavisse; unquam autem responsum divinum id temporis, de quo loquimur, auditum esse, pernegant. Sic enim post alios Maimonides, Magistrorum facile Princeps, alicubi (a) in hæc verba scribit : *עשו כפרת שני אורים וְתומים fecerunt tempore domus secunda Vrim & Thummim, ad complendum numerum vestium octonarium, licet veteri non responderet.* Ita ut oracula illa dudum cessaverint. Deo videlicet hoc agente, ut populus suus, sanctiorum jam rerum, & lucidiorum *Vrim & Thummim*, ex adventu Messiae, desiderio enixissimo tangeretur, & flagrantissimis spiritibus ad ipsam rem, hocce typo adumbratam anhelaret. Id quod nunc ostendere adgredior.

§. XXII.

Plus itaque satis, de umbra ac cortice dixisse videor, reliquum est, ut putamine amoto, nucleum exhibeam, ac arcana sub hoc verborum cortice delitescant, scruter, & in clara quantum fieri poterit, luce ponam. Me autem non dicente, facile cuivis attendenti, utpote rupto jam velo, ac unicuique liberiori ad spectu in cœleste sanctuarium concessio, obvium est; *Urim & Thummim* paulo majora spectasse, & cœlestia spirasse Sacramenta. Quare, quod palmarium est, mysticum huius oraculi sensum evolvere, fert animus; id quod eo confidentius molior, quo firmiter inter omnes id constat, non magis fallibilem auctoritatem in typis exponendis, quam Prophetiis, aut quibusvis S. Scripturæ ænigmatis, requiri : Universum vero Pon-

(a) Hilchoth מוי המקדש cap. 10.

Pontificis Maximi Splendidissimum vestitum, Spiritualem suam habuisse *δηλωσιν*, orthodoxorum nemo, uti opinor negaverit. Quinimo Apostolus (a) passim diserte docet, totam legem ceremoniale esse typicam. Et quoniam Christus, utpote Sacerdos per passiones consummandus, umbratilis legis finis fuerit, sequitur, *Pectorale*, una cum *Vrim & Thummim*, ipsum simul cum *Spiritu Sancto*, utpote qui *κατ' ἐξοχήν*, Spiritus Christi in scriptis N. F. adpellari solet, adumbrasse.

§. XXIII.

Antequam vero *Messiam, Christum*, nec non *Spiritum Christi* per hosce typos, vivis quasi coloribus, nativæque specie, depictos, exhibeam; verbo ostendere lubet, quam rationem habuerit Sapientissimum Numen, ut non nisi ad præsentiam hujus symboli, Pontifici Maximo, ipsum de dubiis consulenti, respondere voluerit: Ea vero serio ad indolem veteris istius œconomiae attendenti, facile liquebit. Historia itaque & literalis causa, meo quidem arbitrato, hæc fuit, ut per hoc Symbolum Sacerdotii maximi dignitas universo commendaretur populo, quando Pontificem Maximum Pectorali, nec non *Vrim & Thummim* magnifice ornatū, edoceri à Deo de futuris eventis, & vice Dei oracula, fundere cernebat. Erant enim *Vrim & Thummim*, quasi *arrhabo & pignus*, quo Deus semetipsū quasi obstrinxerat, ut Pontifici hoc ornamento induto, ac illum in priori Tabernaculo de rebus dubiis, & magni momenti, à quibus salus reipublicæ Jndaicæ, dependebat, consulenti, responderet. Quum enim ipse Deus apud veterem istum populum, *Regis* personam sustineret, hinc quoque ipsum, utpote *Regem* Israelis, decebat, populo suo consulere, eisdemque *prospicere* de omnibus istis, quæ ad conservationem reipublicæ, seu potius *θεοκρατίας*, requirebantur. Et

E

per

(a) Col. 2. 17. Hebr. 10. 1.

243

27

26

per consequens ipse *Pontifex Maximus* hoc ornamentum indutus, sustinebat personam *primarii*, vel, intimi *hujus Regis* Ministri, cui libertas hunc suum *Regem*, nomine populi adeundi, nec non ipsum consulendi, quoties res ipsa flagitaret, concessa erat; hinc materia & coloris *pectoralis* Sacri, curate quoque internis Tabernaculi aulaeis conveiebant. Pectorale ideo haud ineleganter à Luthero *Ant. Schildlein* adpellatur, quia erat insigne muneris Pontificis umbratilis, utpote qui ἐξ Ἱερωῦ λαμβανόμενος, pro ipsis, seu eorum vice, & loco constitutus erat, τῷ θεῷ τον θεον, in iis quæ apud *Deum* peragenda erant. Duplicato vero pectorali, sive plicis pectoralis Sacri, intrinsecus ex peculiari Regis præscripto, insertum erat pretiosum admodum ornamentum, quod nomine solo *Vrim & Thummim* exprimi voluit, absque ulteriori hujus Symboli explanatione. Eo ἐξῆσαν ac παρερησιαν Pontificis *Maximi* ad *Regem* accedendi, quoties necessitas θεοκροταια urgeret, ob signatam, & quasi confirmatam fuisse, quis dubitet? *Pectorale* duodecim prægrandibus gemmis, quibus insculpta erant nomina duodecim tribuum, curatissimo artificio distinctum, & exornatum erat. Quid hoc aliud? Nisi quod hæc plenitudo *potestatis* (detur venia verbo) & auctoritatis Sacerdotis adpropinquandi ad Deum, utpote *Israelis* Regem, unice deberet restringi, & referri ad salutem populi *Israelitici*, utpote quem unum Rex sibi sacra verat εἰς βασιλειον κροταια. Nomina vero *Filiorum Israel*, pectorali insculpta, portare debebat Pontifex Maximus *super cor suum coram Iehovah* jugiter. Hoc docebat Sacerdotem Magnum, se non solum vi muneris sui, verum etiam ex singulari omnino amore erga fratres suos, obstrictum fuisse, Numen pro Contribulibus suis interrogare. Tandem & ultimo, *Vrim & Thummim* admonebant quoque

que jugiter Pontificem Maximum sui officii, videlicet juxta *lucem doctrinae* requiri quoque in ipso vitæ *morumque sinceritatem*. Quod & Hebræorum Magistri haud inobservatum reliquerunt : Dicunt enim nonnullibi Sacerdotem hoc fine, *vestibus sanctitatis* ornatum fuisse, ut *singulari hoc habitu, dignitatis commonitus sua, ad obeundum munus, purificatione meditationum suarum, redderetur idoneus, & vel solius vestitus sacri aspectu cogitaret, cujus se servitio consecrasset.*

§. XXIV.

Verum, quum hæc omnia quoque (uti modo dixi) *parabolica* fuerint, & *umbra* ac *figura*, evolvendæ sunt nobis *figura* hæc, & *mysterium Pectoralis* Sacri, nec non *Vrim & Thummim*, paucis enucleandum. *Pectorale* itaque, meo quidem arbitrato, figurabat *munus Christi Mediatorium*, quatenus videlicet *Christus* causam populi sui apud Patrem agit in cœlo, ibidem adparet in conspectu Dei pro nobis, inde *spiritum suum*, ut fructum meritorum suorum, in nos effundit, atque preces nostras in fide oblatas ad Thronum gratiæ perfert, & una postulat à Patre, ut ad supplicationes & preces nostras, in ipsius nomine factas, per *Spiritum suum*, respondeat. Hoc est, quod Divus Johannes (a) nos docet : και αλλος αγγελος (ait) ηλθε, και εδωκεν επι το θυσιαστηριον, εχων λιθωντων χυρσεν, και εδωκεν αυτω θυμιαματα πολλα, ινα δωσει ταις προσευχαις των αγιων παντων, επι το θυσιαστηριον το χρυρσεν το ενωπιον τε θρονου. και ανεβη ο καπνος των θυμιαματων ταις προσευχαις των αγιων, εν χειροσ τε αγγελου, ενωπιον τε θεου. Adludit; ibidem ad *Altare Thymiatum*, quod erat in priori *Tabernaculo*, ad quod suffitus facere, censebant olim pro magno privilegio; Magna quippe, & omnino singularia dona suffitum facientibus,

E 2

ob-

(a) Apoc. 8. 3. 4.

24
27
26

obtingere, autumabant. Unde cum super aliis Templi muniis non nisi semel projecerint in die sortem, pro hoc eam iterarunt. Quod vero ad *Angelum*, qui ibidem adparet, attinet, illum *Christum* fuisse, ex prædicatis & operibus, quæ ipsi attribuuntur, facile rite attendenti constare potest. Dicitur enim I. stare *ad altare aureum suffituum*. II. habere *thuribulum aureum*, de quo quidem Moses (α) altum silet, at Paulus (β) vel ex traditione, vel Hebræorum doctrina, commemorat. Videtur proinde distinguendum à *thuribulo vulgari*, & cottidiano, cum cottidie non patuerit aditus intra velum interius, ubi ad servabatur, ni citra apertionem veli potuerit præsumi. III. Dicitur, ei data fuisse *Thymiamaata multa*, hoc est, multas Sanctorum supplicationes, multas preces ipsi datas, quas utpote ipsius preterito adspersas, ad Patrem adduceret; quas ideo *adscendere* fecisse dicitur *coram Deo*, utpote *gratissime olemes*, haud fecus ac olim *Sacrificia*, quæ Deo grata erant, *adscendere* dicebantur, & in cineres & fumum abire, quippe consumpta igne *caelesti*. quod evidentissimum erat signum, id genus Sacrificia Deo *exoptata*. *Thuribulum* verò, quod igne ex altari accepto, implebatur, & in terram mittebatur, quid aliud significare potuit? *Quam varia dona*, & charismata *Spiritus Sancti*, quæ *Christus* vi meriti sui, & precatationis apud Patrem, effundit in Ecclesiam.

§. XXV.

Pectorale iudicii, consequenter significabat, *Christum*, utpote *Pontificem Maximum* per passiones consummatum, & tanquam *Precatorem* & *Advocatum* nostrum, habere potestatem atque jus, sibi vindicandi omnes, quos suo

(α) Exod. 25. 26. & 27. (β) Hebr. 9. 4.

suo redemit sanguine, tanquam peculium sibi proprium, ut ab omni accusatione legis, & conscientiae liberarentur; atque sua iustitia, sua precatione nos absolveret apud Patrem ab omni reatu, & acquiritam salutem per efficaciam *Spiritus Sancti* nobis adplicaret. *Pectorale* vero Pontificis Maximi, Pectori sive *cordi*, amoris *sedi* impositum, non poterat non effigiare, *tenerimum Christi* amorem, & fervidum adfectum, quo credentes, quibuscum arētissime junctus est, ita ut cum iis unum tantum constituat corpus, prosequitur; quippe qui illos non humeris tantum, pastoris in modum, nec ulnis tantum, nutricis instar, verum in pectore, in ipso corde gestat, ne qua illius cura vel ad momentum excidat. Ut ut nominum, quae humeris gestabat suis, oblivisci posset Pontifex; eorum tamen quae in pectore suo portabat jugiter, non poterat. Non magis quoque suorum, quos in *pectore* gestat suo, tanquam *κενυρλιον* pretiosissimum, oblivisci potest Christus (a). *Jugis ac perennis* illa nominum gestatio in pectore coram Domino, omni dubio procul perpetuam, ac *perennem* Christi adumbrat *interpellationem* pro ecclesia, in coelesti sanctuario.

(b). *Forma pectoralis quadrangularis*, quid aliud notare poterat, quam stabilitatem ac firmitudinem jugis Christi precationis pro nobis apud Patrem, quippe qui in aeternum consummatus manet, unde & salvare potest *εις το παντελες* accedentes per ipsum ad Deum, *semper vivens ad interpellandum pro nobis*. (c) *Quadrata* enim, utinamini non notum, firma ac valida sunt, ac quocunque modo vertuntur, semper sibi similia. Et sic revera, ne unicum quidem est pectoralis amiculi Christi *lapillis*, vel Satan, vel universa satellitum ipsius cohors eruere, atque eximere unquam

E 3

quam

(a) Esai. 49. 15. (b) Hebr. 7. 25. (c) Hebr. 7. 24. 25. 28.

24

27

26

quam poterit. *Duodecim pretiosissimos* in pectorali radiantes lapillos, vere *credentium* emblemata seu typos fuisse, tam evidens est, ut ulteriori probatione neutiquam indigeat.

§. XXVI.

Hæc de mystica *pectoralis* significatione, sufficient. Reliquum est, ut paucis evolvamus mysterium *Urim & Thummim*. Sunt qui existimant, *Urim & Thummim* haud fecus ac *pectorale* quoque fuisse umbram Christi, utpote qui non solum debuit *habere mentem illuminatam & lucidissimam* in rebus maxime abstrusis & occultis, sed qui integer *etiam* esse debuit vita, scelerisque purus. Sed cum illa distincta fuisse ab ipso pectorali, & XII. gemmis, multis evicimus, rectius *Urim & Thummim* statuimus fuisse imaginem *Spiritus Sancti*, utpote *Spiritus Christi*, habitantis in Ecclesia. Hinc quoque Doctissimi & Antiquissimi Judæorum Magistri, statuerunt, *Urim & Thummim* olim fuisse pignus *Spiritus Prophetie*, & *oracula*, & ad interrogata responsa, *Spiritus Sancto* magis, quam *Pectorali*, vel etiam ipsi *summo Pontifici*, adscribenda esse. Sic Gemarici (α) *omnis Sacerdos*, qui non loquitur *ברוך הקודש* per *Spiritum Sanctum* & super quem Deus non habitat sua *Schechina* (præsentia) *censetur ineptus ad interrogationes*. Sic & R. Bechai (β) dixit: *sacerdotem, qui vestitus erat Urim & Thummim, simul quoque indutum esse spiritu sancto*. Et R. D. Kimchi: (γ) *Edebant responsum necessarium עם סעיד רוח הקודש cum auxilio spiritus sancti, qui fuit in sacerdote, per quem interrogabat*. Quinimo, passim docent Judæorum Magistri, *Urim & Thummim* fuisse *gradum spiritus sancti*, (hoc est, dono-

(α) Massechet Joma. cap. VII. (β) Ad Deut. 33. 8. (γ) Ad Jud. XX.

rum Spiritus Sancti) inferiorem *Prophetia*, superiorem vero *בר קור*, *filia vocis*, quæ fuit quasi vox exiliens ex alia voce, seu *Echo*, quæ de cœlo audiebatur distinctis verbis.

§. XXVII.

Vrim & Thummim itaq; admodum venustam & elegantem imaginem, meo quidem arbitrato, sustinere possunt *Spiritus Sancti*; quippe in quem omnes characteres curate quadrant; si modo consideretur, ut *spiritus Christi*, habitans in Ecclesia, & vi meritorum Christi eidem donatus. Id quod ex consequentibus analogiis, liquido constabit. Nam I. Sicuti *Vrim & Thummim*, duplicato pectorali, ex peculiari Legislatoris præscripto, intrinsecus inferebantur (intus enim pectorale fuit cavum instar marsupii) adeoque hominum oculis non ita patebant; haud absimili modo, *spiritus Christi*, qui est in Christo, à mundo videri nequit; sed solum conspici potest à fidelibus, respectu operationum suarum in ipsorum cordibus. *Ego vero rogabo Patrem* (inquit nonnulli (a) sospitator noster) & *alium πνευματικόν dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: Vos autem no- stis eum, quia apud vos habitat &c.* Huc & illud procul dubio spectavit Symbolum flatus (b) à Christo usurpatum, uberiorem *spiritus gratiam* Discipulis suis impertiente. *Ventus* enim, cui *spiritus sanctus* passim componi solet, audiri quidem, sed à nemine videri potest. Et hac de causa, uti ego quidem opinor, comparatur alicubi (c) *Spiritus Sanctus, calculo albo, cui in scriptum novum nomen, quod*

nemo

(a) Joh. 14. 16. 17. (b) Joh. 20. 22. (c) Apoc. 2. 17.

nemo novit, nisi qui accipit. II. Veluti *Vrim & Thummim* Pontifici umbratili dabant libertatem accedendi ad Deum, quoties opus erat, & ab ipso petendi omnia illa, quæ requirebantur ut necessaria ad conservationem, & salutem Reipublicæ Judaicæ. Haud secus *spiritus sanctus*, qui est fructus obedientiæ Christi, & quasi ex ipsius pectore expressus, unde & κατ' ἐξοχην *spiritus Christi* in Scriptis N. Test. passim audit, dat vere credentibus quoque παρερησιαν accedendi ad thronum gratiæ, & à Deo Patre in nomine Christi, postulandi omnia, quæ ad vitam & pietatem requiruntur. Non enim accepimus (a) πνευμα δουλίας παλιν εἰς φόβον, sed πνευμα υιοθεσις, per quem clamamus *Abba Pater*. III. Mediantibus *Vrim & Thummim*, solebat Deus summo Pontifici revelare consilium voluntatis suæ, & responsionem ad interrogata dare; & quidem vel articulata voce, verbo externo; vel per internam illuminationem intellectus, & persuasionem efficacem de certissima responsi veritate; eodem modo, quo & Patres, & Prophetæ, suas habebant revelationes, & Prophetias: Haud absimili modo *spiritus sanctus*, qui rimatur *profunda Dei*, revelat credentibus mysteria Domini, mirabilia de lege Dei, omneque Numinis consilium de ipsorum salute; idque vel per internam ἀποκαλύψιν, (testatur enim ille *spiritus una cum nostro*) vel externam, per vocem videlicet, & præconium Evangelii; quod est quasi sonora & articulata Spiritus Sancti vox, & sensu orthodoxo, *Filia vocis*. Sic cor Lydiæ (b) adaperuit, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo. IV. *Vrim & Thummim* nullum alium Auctorem agnoscebant quam ipsum Deum; ita ut nullus artifex ex hominibus in iis conficiendis adhibitus fuerit. Ad eundem fere modum *spiritus sanctus* non acquiritur ullo labo-

(a) Rom. 8. 15. (b) Act. 16. 14.

labore, vel diligentia, vel arte hominum, verum à Christo solo mittitur & donatur nobis, ut *χαρισμα*; unde & nonnullibi (a) *רוח קדוש*, *spiritus gratie* audit. V. *Vrim* & *Thummim* non solum erant *pignus* spiritus Prophetia, verum etiam medium, quo Deus semet ipsum summo Pontifici revelabat, & quidem in hunc finem, ut iterum voluntatis *divinae* secretum, populo Hebraeo enarraret. Sic Christus quoque per *Spiritum suum*, nobis Patrem *ἐξήγησε*, & voluntatem Patris nobis manifestam dedit. Unde & Christum de *Spiritu Sancto* loquentem ad hunc modum introducit Evangelista (b) : *Non enim loquetur, (videlicet spiritus ille veritatis) à semet ipso, sed quaecumque audierit loquetur : Et quae ventura sunt renuntiabit vobis. Omnia quae habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, illum de meo accepturum, & renunciaturum vobis.* Unde & passim mitti, & effundi dicitur à Christo. Quorsum & illud pertinet, Christo itidem attributum (c) quod *baptizet Spiritu Sancto*. VI. *Vrim* & *Thummim* convenienter suum habebant nomen è *splendoribus*, vel *corruscationibus* nec non *perfectionibus*; ex qua sola nomenclatura quam evidentissime constat, eadem illustrissimum *Spiritus Sancti* symbolum fuisse; utpote qui non solum in se ipso est fons *lucis*, & *perfectionis* omnigenae; quinimo in abstracto, ipsissima *lux*, ipsissima *perfectio*; Verum etiam omnis lucis spiritualis, ac perfectionis in peccatore, unicus Auctor. Illi enim cum primis *κατ' ομοιωματιν* personarum, demandatum est hoc munus, ut *illuminet* mentes illorum, quos Pater Filio, ut Goëli, Sponsori, Sacerdoti, dedit adferendos, & caliginem ab oculis eorum auferat, ut in ipsius *luce*, *lucem*, hoc est, ipsum Deum, *habitantem lucem inaccessam*, nec non mirabilia de lege Dei, videant. Et non so-

F lum

(a) Zach. 12. 10. (b) Joh. 16. 13. -- 16. (c) Matth. 3. 11

lum instruit *intellectum* nostrum cognitione Dei, & mysteriorum salutis, verum etiam voluntatem nostram efficaciter flectit ad obsequium *fidei*; ita ut nos hac luce *illuminati*, salutem *nostram* operemur cum *timore ac tremore*, atque ita *επι την τελειοτητα φερωμεθα*. Penes *Spiritum Sanctum* itaque solum, omnis omnino cognitionis, sanctitatis, dotumque spiritualium, relucet *ολοτελειωσις*, à quo consequenter uno expectanda nostra cognitio, *sanctimonia*, & qua dari potest, *τελειωσις perfectio*. Quinimo *Spiritus Sanctus* singulari omnino modo, jam sub œconomia N. T. est veritas *των Thummim*, quia *conscientias* vere credentium, certiores reddit de adducta per Christum justitia, seu de consummatione Christi Pontificis per passiones, adeoque de plena *remissione* peccatorum, libertate Christiana, ejusque usu in *fiducia* filiorum, in quibus consistit *perfectio* sive *consummatio* Ecclesiæ N. Testamenti; quam *perfectiorem* Lex umbratilis nequiquam dare poterat. VII. *Quemadmodum oraculum*, per *Vrim & Thummim* certissimum erat *directorium*, certissima cynosura. Sic quoque *Spiritus Sanctus* consummatissima est regula directrix, *norma*, *amissis* per illud adumbrata. Hinc aliquoties pii a Deo petunt, ut mittat *lucem*, veritatem suam, Spiritum suum bonum, *qui ipsos ducat in terram planam*, hoc est, in vias Dei, *in quibus soli recti ambulant*. Unde & dicitur nos *ducere in omnem veritatem*, non vero in *ullum mendacium*, vel perplexitatem, uti facit *Spiritus Anti-Christi*, qui non est *spiritus Dei bonus*. VIII. *Vrim & Thummim* quoque erant *pignus respiciationis*. Sic Christus sistit Patri suo, *liberos*, utpote à Spiritu suo sanctificatos, & ab ipso, ceu *Arrhabone*, obsignatos; nec non ipsorum supplicationes, & *suspiria*, patri repræsentat, utpote gemirus *ejusdem spiritus*, ad quos consequenter Pater non potest non

respondere, quippe qui semet *ipsum*, quasi debitorem credentium constituit. Hoc est, quod nonnullibi (a) Apostolus inculcat : *Similiter autem & spiritus una sublevat infirmitates nostras, quid enim oremus, uti oportet, non novimus. Sed ipse spiritus interpellat pro nobis* *εναγγις αλαλητοις.* *Qui vero scrutatur corda, novit quid desideret spiritus: Quia secundum Deum intercedit pro nobis.* Ac si dicat, non est, quod fatiscamus sub afflictionum pondere, quum firmissimum subsidium suppeditent preces, quæ irritæ esse nequeunt, quum ab ipso *spiritu* Dei in nobis habitante proficiantur. Licet enim ignoremus, quid oremus, uti oportet, vel convenit cum gloria Dei; ipse tamen *spiritus* intercedit pro nobis, ille nos ad preces instigat, atque adeo veluti verba & suspiria nobis intus dicit, quæ eloqui vix possumus. Cordium vero, & rerum scrutator novit, quæ preces, quæve suspiria, à Spiritu sui adflatu proficiantur, & in nobis excitentur. Quia sanctos docet precari ex ipsius Dei voluntate, atque ita, uti Deo placeat; qui consequenter non potest non, sanctorum preces exaudire.

§. XXVIII.

Licet vero *Vrim & Thummim* insigne fuerint primi Templi privilegium, atque *κειμηλιον*, in secundo desideratum, ne videlicet *προεληπκοτες*, ante expectantes, à desiderio nostri *Vrim & Thummim* abstraherentur; Novi tamen Testamenti prærogativa multis nominibus excellit. *Vrim* enim & *Thummim* sub V.T. erat duntaxat corpusculum quoddam materiale, typicum, umbratile. Verum *Vrim & Thummim* sub œconomia N. Test. est ipse *spiritus gloria*, ipsa *veritas coessentialis* Patri & Filio, quippe

F 2

ab

(a) Rom. 8. 26. 27.

24

27

26

ab utroque procedens in eadem essentia, ejusque absolutissima communione. Licet Pontifices Veteris Testamenti, cum *Vrim & Thummim* exornari possent; tamen non omnes exinde vere *sanctificabantur*, & regenerabantur à *Spiritu Sancto*; uti ex multis Pontificibus, qui tantum erant homines *σαρκικοί* liquido consistit. Verum fidelium nemo, sub œconomia N. T. accipit *Spiritum sanctum*, seu Spiritum Christi, qui non sit in ipso *Spiritus efficacis illuminationis, sanctificationis, ac regenerationis*. Porro oracula per *Vrim & Thummim* tandem desierunt; uti suo loco vidimus. Verum *Spiritus Dei nostri, Redemptoris nostri, est Paracletus noster*, qui semper apud nos, & in nobis manet; quinimo *Arrhabo, & sigillum nostrum*, quo obsignamur *εις ημεραν απολυτωσης*.

§. XXIX.

Plura addere cum ne volentibus quidem liceat, veniæ securi, quam nemini *πρωτοπειρω* denegandam Veteres censebant, pedem figimus, concludentes hoc voto: Ut Christus videlicet, ceu Sacerdos noster Maximus, nos omnes & singulos, pectoris sui receptaculo gestet, jugiter pro nobis in cœlesti sanctuario interpellet, & inde mittat in nos Spiritum suum, ut Spiritum *gratia, supplicationum*, qui nos magis ac magis *illuminet*, & de gloria in gloriam *transformet*, usque dum tandem plene *perficiamur*, & consummemur. Sint quæso, semper Domine, *penes Levi*, *Luces Tuæ*, & *Integritatis tuæ*. Amen.

Ad-

Adnexa Defendentis.

I. Deus cum homine integro inivit fœdus operum.

II. Primordialis promissio in Paradiso publicata, est fundamentum, & matrix omnis verbi gratia, quod imposte- rum auditum est.

III. Verba Dei Vnius & Trini de homine lapsa: $\text{הָאֵלֹהִים כְּאֶחָד מִמֶּנּוּ}$, neque ironice, vel sarcastice intelligenda esse, sed serio, censemus.

IV. Decimatio pecoris, de qua Levit. 27. 32. 33. myste- riorum plena fuit.

V. Azazel fuit emblema, seu typus Satana.

VI. Iesum Nazarenum esse verum & Patribus promif- sum Messiam, contra contumaces Iudeos, quam evidentissime ex S Scriptura, demonstrari posse statuimus.

VII. Septem Ecclesias, septem sigilla, septem Tubas Apo- calypticas, absolvere univrsum curriculum regni Christi, inde à Christo Iesu glorificato, usque ad novissimum ejus adventum, nobis persuademus.

VIII. Septem vero Phiala, multo minus septem Toni- trua, non sunt ejusdem temporis, vel latitudinis cum 7. Eccle- siis, sigillis & Tubiciniis.

IX. Exercitium Propheticum, quod in Primitiva Ecclē- sia obtinuit, commode posse in Ecclesias introduci, quia maxime consentaneum est ordini Ecclesie primitivæ, ab Apostolis ipsis adprobato, judicamus.

X. Verba Pauli 1. Cor. 15. 29. $\text{\epsilon\pi\epsilon\iota\ \tau\iota\ \mu\iota\sigma\theta\epsilon\omega\sigma\iota\ \o\iota\ \beta\alpha\pi\tau\iota\zeta\omicron\mu\epsilon\upsilon\sigma\iota\ \u03c5\pi\epsilon\rho\ \tau\omega\upsilon\ \nu\epsilon\kappa\rho\tau\omega\upsilon}$, respiciunt baptismum propter attactum cadaveris, Num. 19. ex quo ritu, Apostolus recte demonstrat, mortuorum resurrectionem.

DUm nitido lucem BIRMANNUS fundit Ephodo
Perfectam, exurgit lux nova lausque tibi.

Sci-

Scilicet hic alios exornat lumine claro,
Ut Titan radiis astra minora suis.

L. M. 2.
JO. HENRICUS SCHRAMMIUS,
SS. Theol. D. & apud Herborenenses
Prof. Ord. ac Pædagogei director.

שירתך ותושבתתך לחכיבא
גברא רבא ויקורא
יוחנן פליפוס גאודליוס

בחדודי קבלתך דחזרתך למיסק על כורכא
דחכימיא
ולא ספקית מין כלן אלן דבחוכמתך פלפלת
בקדמיא
אלא אופ צבירת לאחזאה ורת רכותך וחילך קדם
דברביא ועממאיא
בפלפולא חרתא בלימודא עתיקא מאוריא ותומיא
על אלן תוכה לאצלחותא נצחית ותתברך מאלהיא
דשמיא


Ita Doctissimo atque Politissimo Dno Respon-
denti, Auditori, & bis Respondenti nostro,
apud Hanovienses & Steinovienses, ex pau-
cis dilecto, gratulari debuit.


H. J. van Bashuyfen, SS. Theol. P. O. &
Hist. Eccl. in Ill. Gymn. Hanov. Prof.
Ord. & Pastor Steinoviensis.

וודי בנחת שמעתי דברי חכמה ותבונה
מפוך דברך מקדם לפני רבנים באמונה
בלמודים שונים שננת ושלשת בכוונה
מבית המדרש ומחלכות ספר תורה שוכן מעונה
את גודלך ואת חכמתך הודעת נאמנה
לפיכך חכמה תחיה בעליה וקונה
שמך יגדל בקצוי הארץ וככל פנה.


Ita accinebat

Joh. C. Schultheis, Steinoviæ SS. Th. St.









the scale towards document

quippe qui semet *ipsum*, quasi debitorem creditur. Hoc est, quod nonnulli (a) Apostolus: *Similiter autem & Spiritus una subleuat interras, quid enim oremus, uti oportet, non novus Spiritus interpellat pro nobis* *συναγωγῆς ἀλαλητοῖς.* *scatur corda, novit quid desideret Spiritus: Quia enim intercedit pro nobis.* Ac si dicat, non est, quod sub afflictionum pondere, quum firmis suppeditent preces, quæ irritæ esse nequeunt ab ipso *Spiritu* Dei in nobis habitante proficere. Licet enim ignoremus, quid oremus, uti convenit cum gloria Dei; ipse tamen *Spiritus* pro nobis, ille nos ad preces instigat, atque verba & suspiria nobis intus dictat, quæ eloquimur. Cordium vero, & rerum scrutator, & in nobis excitentur. Quia sanctos ex ipsius Dei voluntate, atque ita, uti Deo plures consequenter non potest non, sanctorum *preces*

§. XXVIII.

vero *Vrim & Thummim* insigne fuerint privilegiorum, atque *κεχυμένων*, in secundo desideraret *προσπεκτικῶς*, ante expectantes, à desiderio *Vrim & Thummim* abstraherentur; Novi tamen prærogativa multis nominibus excellens *Vrim & Thummim* sub V. T. erat duntaxat cordium materiale, typicum, umbratile. Verum *Thummim* sub œconomia N. Test. est ipsa *veritas cœessentialis* Patri & Filio, quippe
F 2 ab
om. 8. 26. 27.

24
27
26